



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Decreta Provinciae Mediolanensis Sv̄b B. Carolo Borromeo, Cardinale
Archiepiscopo, Diuersis temporibus in sex Concilijs, totidemq[ue]
voluminibus edita

Speciano, Cesare

Brixiae, 1603

S.D.N.D. Pii Papæ V. Statvtvm, de Frvctibcs, quos amittunt, qui horas
Canonicas non recitant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10553

subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quæ presentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Dat. Romæ, apud Sanctum Petrum sub Annulo piscatoris, die vigesimo-secundo Septembris, millesimo quingentesimo septuagesimo primo. Pontificatus nostri Anno sexto.

Cef. Glorierius.

S. D. N. D. PII PAPÆ V. STATVTVM, DE FRVCTIBVS,
quos amittunt, qui horas Canonicas non recitant.

Pius Episcopus seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

EX proximo Lateranen. Concilio pia & salubris sanctio emanauit, vt quicumque habes beneficium Ecclesiasticum cum cura, & sine cura, si post sex menses quam illud obtinuerit, diuinum officium, legitimo cessante impedimento, non dixerit, beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis officii & temporis, suos non faciat: sed eos, tanquam iniuste perceptos, in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum elemosynas erogare teneatur. Veruntamen multorum animi suspensione tenentur, cuiusmodi ratæ prædictæ ratio sit habenda. Nos huic rei euidentius, atque expressius providere volentes, statuimus, vt qui horas omnes Canonicas vno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficij seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie diuiderentur: qui vero matutinum tantum, dimidiam: qui cæteras omnes horas, aliam dimidiã: qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat: tametsi aliquis, choro additus, non recitans, omnibus horis Canonicis cum alijs præsens adsit, fructusq; & distributiones fortè aliter assignatas, sola præsentia iuxta statuta, consuetudinè, fundationem, vel aliàs sibi lucrifecisse prætendat. Is etiam præter fructuum, & distributionum amissionem: Item ille qui primis sex mensibus officium non dixerit nisi legitimum impedimentum ipsum excusauerit, graue peccatum intelligat admisisse. Declarantes præstimonias, præstimoniales portiones, & qualiacunque alia beneficia, etiam nullum omnino seruitii habentia obtinentes, cum prædictis pariter contineri. At quicumq; pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas vt clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium paruum Beatæ Mariæ Virginis decernimus obligatū; & pensionum, fructuum, rerumq; ipsarum amissioni obnoxium. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum, statuti, declarationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Dat. Rom. Apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo septuagesimo primo, Duodecimo Kal. Octobris. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Cef. Glorierius.

SANCTISSIMI D. N. D. PII PAPÆ V. CONSTITVTIO,
Super recitatione officij Beatæ Mariæ Virginis, cum Decretis,
& indulgentiis.

Pius Episcopus, seruus seruorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Super omnipotentis Dei prouidentia, ac benignitatis exemplo excitati, qui vt humanum genus ab errorum tenebris vendicaret, & in veritatis semitam perduceret, suæ gloriæ splendorem è cælis in terram dimittere, lucisq; æternæ radiis bonos pariter & malos perfundere dignatus est, meditatio cordis nostri

B b b 2 ad id